

torem fuerat contractum die 29 Martii 1724, hora duodecima, et puella per actum publicum mandatum revocaverat eadem die, sed uti probabiliter credebatur, post contractum matrimonium, et prætendebatur, quod actus publicus revocationis mandati factus quidem appareret dicta die 29, sed quod consensus pro matrimonio contrahendo fuisset ab ipsa revocatus die 28 uti ex nonnullis testibus habebatur, et Elisabeth examinata die 2 Maii 1724 deposuerat coram vicario generali Perusino, scriptum idcirco fuit episcopo civitatis Castelli, ut delato juramento, puellam interrogaret, primo, an revera consensum revocasset die 28 Martii, secundo, an revocatio fuerit spontanea, vel per metum incussum a patris de Donninis, vel ex subornationibus aliorum, qui cum eis Eugubium accesserunt, et tertio, in qua nunc voluntate persistat, contrahendi videlicet, vel non contrahendi matrimonium cum Hieronymo.

« Supervenerunt acta transmissa ab episcopo civitatis Castelli, ex quibus habetur, puellam interrogatam respondisse, primo, se suam voluntatem revocandi mandatum prolapse die 28 Martii summo mane Petro de Donninis patruo, patri Gasparo de Giglis et moniali Hieronymæ de Bonassoris, eos rogando, ut ad monasterium accedere facerent notarium, ut publicum suæ revocationis fieret instrumentum. Secundo, se die 27 ejusdem mensis consimilem revocationem consensus et mandati procuræ significasse patri Gaspari de Giglis et post ejus discessum a monasterio, moniali Felici Sarzi, cui injunxit, ut suam voluntatem Hieronymo significaret ad effectum, ut se a matrimonio abstineret. Tertio, se hæc omnia fecisse sponte et libere, non autem per metum incussum... nec ex persuasione, seu subornatione... ultimo, se nolle contrahere matrimonium et se in hac voluntate esse, atque fuisse a momento, quo consensus et mandatum procuræ revocavit.

« His stantibus, dignabuntur EE. VV. discernere.

« An constet de nullitate matrimonii in casu, etc.

« DILATA, ET PROPONATUR IN PRIMA IN ULTIMA JUNII, ET PARTES INFORMENT. »

« Die 5 Julii 1727.

« EUGUBINA, SEU PERUSINA MATRIMONII. Proposita fuit hæc causa in congregatione habita die 25 Januarii currentis anni... nec ulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod Elisabeth de Gherardis caute transportaretur ad aliquod monasterium civitatis Castelli, in quo exploraretur ejus voluntas a dictæ civitatis episcopo, juxta instructionem. »

« Transportatio fuit executioni mandata et facta est ab episcopo voluntatis exploratio, juxta instructionem, repositaque causa in congregatione habita die 26 Aprilis currentis anni... nulla fuit capta resolutio, sed

dictum, Dilata etc. et partes informant, cumque hodie causa pro tertia vice proponatur, ex juribus circumferendis dignabuntur EE. VV. discernere.

« An constet de nullitate matrimonii in casu, etc.

« AFFIRMATIVE. »

ARTICULUS II.

Matrimonium quoad debitum conjugale.

SUMMARIUM.

1. Coniux tenetur sub mortali reddere debitum conjugati petenti serio et instanter, quando nulla illud denegandi intervenit justa et rationabilis causa, ad n. 2. — 3. Peccat contra justitiam ex genere suo mortale coniux ille, qui cum tenetur ad reddendum debitum, reddit se notabiliter impotentem immoderatis jejuniis. — 4. Non peccat coniux conjugati debitum semel tantum et obiter, vel implicite petenti, modeste denegando, tergiversando, se excusando, prece, vel suasu avertendo petentem, si id non valde ægre laturus videatur, ad n. 5. — 6. Ad dignoscendum, quod coniux serio debitum conjugale petat, non est necessaria petitio expressa et formalis, sed sufficit tacita, virtualis et interpretativa, quæ habeatur a signis indicantibus seriam voluntatem petendi, ad n. 8. — 9. Dantur plures justæ et rationabiles causæ, quibus intervenientibus, potest licite debitum denegari, ad n. 26. — 27. Assignantur plures justæ causæ, propter quas non possunt conjuges debitum denegare, ad n. 34. — 35. Debitum conjugale licite petitur et redditur, etiamsi mulier sit lactans, vel prægnans, dummodo absit periculum abortus, ad n. 36. — 37. Debitum petere dum mulier est puerpera, per se loquendo non nisi veniale esse solet, et cum menstrua petere et reddere in lege veteri sub pœna capitali prohibebatur, et nunc si non mortale, est ad minus grave veniale, ad n. 39. — 40. Debitum conjugale licite petitur et redditur, etiam non servato debito concumbendi modo, aut situ, dummodo fiat propter aliquam justam et rationabilem causam, alias saltem venialiter peccatur, ad n. 42. — 43. Coniuges, qui mala fide, seu dubii de valore matrimonii contraxerunt, non possunt, stante illo dubio, nec petere, nec reddere debitum: et quid, si unus tantum dubius, aut jam bona fide contracto matrimonio, de valore dubium superveniat: ad n. 50. — 51. Si coniux pro certo cognoscat invaliditatem matrimonii, eo quod indubitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie Ecclesiæ probare nequeat, non solum non potest petere, sed nec reddere debitum, ad n. 52. — 53. Coniux, qui, durante matrimonio, contraxit affinitatem cum sua consorte, cognoscendo videlicet carnaliter ejus consanguineam in primo, vel secundo gradu, non potest petere debitum, tenetur tamen reddere, et si cognita esset consanguinea in 3. vel 4. gradu, non privatur jure petendi, ad n. 55. — 56. Coniux voto simplicis castitatis adstrictus non potest licite debitum petere, tenetur tamen reddere.

1. Coniux tenetur sub mortali reddere debitum conjugati petenti serio et instanter, quando nulla illud denegandi intervenit causa justa ac rationabilis. Est communissima; et habetur expresse ex Apostolo, I ad Corinth., cap. vii, v. 3, ibi: *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro*; quia ut v. 4 rationem reddens, subdit Apostolus: *Mulier sui corporis potestatem non habeat, sed vir; similiter autem, et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Et volens Apostolus ostendere, quod hæc obligatio

reddendi debitum urgeat conjuges sub gravi et de justitia, sub v. 5 ejusdem debiti negationem appellat fraudem: *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*. (2. Hinc recte inferunt doctores communiter quod coniux injuste negans debitum alteri conjugi serio et instanter petenti, peccat mortaliter toties quoties. (3. Unde peccat contra justitiam ex genere suo mortaliter coniux ille, qui ad reddendum debitum reddit se notabiliter impotentem immoderatis jejuniis, vigiliis, laboribus et hujusmodi, aut voluntariis pollutionibus, ut communiter tradunt doctores, et signanter Sanchez, lib. ix, disp. 3, n. 3 et 4; S. Antonin., part. iii, tit. 1, cap. 29, § 10; Silvester, verb. *Debitum*, quæst. 1; Paludan., in 4, dist. 32; quæst. 1, art. 2, conclus. 3; Dicastill., disp. 9, dub. 19; Coninch., disp. 34; Laymann, lib. v, tract. 10, p. 3, cap. 1, n. 2; Sporer t. III, part. iv, cap. 2, n. 306.

(4. Notanter autem fuit dictum, petenti serio et instanter, id est tali modo, ut constet, conjugem velle exigere copulam tantquam debitum conjugale; nam non peccat coniux conjugati debitum semel tantum et obiter, vel implicite petenti, modeste denegando, tergiversando, se excusando, prece, vel suasu avertendo petentem, si id non valde ægre laturus videatur. Est communis cum Sanchez et Layman locis citatis. (5. Si tamen cognoscat conjugem tergiversationem talem, seu excusationem aut avertentem prece, vel suasionem valde ægre laturum, et advertat ex privatione debiti conjugalis eum periculo incontinentiæ exponi, tunc pertinaciter negans, seu se excusans aut dissuadens, peccat mortaliter, licet percipiat conjugem non adeo serio et rigoroze tanquam debitum conjugale copulam exigere. Ita etiam communis cum Sanchez et Laymann locis citatis. (6. Ad dignoscendum, quod coniux serio debitum conjugale petat, non est necessaria petitio expressa et formalis, sed sufficit tacita virtualis et interpretativa, quæ habeatur a signis indicantibus seriam voluntatem petendi. Divus Thomas in 4, dist. 32; quæst. unica, art. 2, quæstiuncula prima in corpore; D. Antonius tertia parte, tit. 1, cap. 20, § 7; et alii communiter. (7. Et hoc maxime verificatur in femina, quæ potissimum subditur verecundiæ, et præ rubore non petit expresse, quod anxie petit, et ubi quoquomodo constat de voluntate, parum refert, quod verbis, vel signis indicetur, per textum in l. *De quibus*, ff. *De legibus*. (8. Et hoc etiam potest interdum verificari in viro, qui sit talis conditionis, ut vel ratione majoris dignitatis in femina, vel naturalis timoris et verecundiæ in ipso, non audeat expresse et verbaliter petere; tunc enim femina tenetur signis saltem sensibilibus et interpretativis exhibere actum conjugalem, cum tam in petendo, quam in reddendo conjuges sint pares, ex cit. *Epist. I ad Corinth.*, c. vii, arg. cap.

Præcepti 19, et c. Apud nos 20; caus. 32, q. 5.

(9. Notanter etiam fuit dictum, quando nulla illud denegandi intervenit justa et rationabilis causa; dantur enim plures et rationabiles causæ, quibus intervenientibus potest licite debitum denegari; *Primo*, coniux innocens potest denegare debitum conjugati adultero, ut colligitur aperte ex c. v et xix *Matthæi*; frangenti enim fidem, fides merito non servatur ex Regul. 75 Juris, in 6; ibi: « Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat. » (10. Si tamen etiam alter coniux esset adulter, negare debitum licite non posset, quia jam injuriæ adulterii sibi invicem compensata essent; cap. *Intelleximus 6*, cap. *Tua fraternitas 7*, De adulteriis. Ita communis. (11. *Secundo* coniux innocens liberatur ab obligatione reddendi debitum, si alter coniux jure petendi debitum privatus sit ob incestum commissum cum conjugis consanguinea in gradu primo, vel secundo; nam ubi cessat jus petendi, consequenter cessat obligatio reddendi; coniux autem incestuosus, in pœnam criminis, amisit jus petendi debitum; c. *Transmissa 4*, cap. *Tua fraternitatis 10*, De eo qui cognovit consanguinem uxoris suæ, cap. *Si quis viduam 20*, cap. *Qui dormierit 21*; cap. *Concubuiti 23*, caus. 32, quæst. 7. (12. Postquam tamen incestuosus dispensationem super petendo debito impetravit, jus exigendi debitum plene recuperavit; Sanchez lib. ix, disputat. 6, n. 10; Layman. *loc. cit.*, n. 15, et alii passim. (13. *Tertio* coniux innocens potest denegare debitum conjugati, qui sodomiam, vel bestialitatis crimine sese turpiter inquinavit. Si enim ratione adulterii et incestus potest a conjugate innocenti denegari debitum conjugati reo, a fortiori poterit denegari ratione sceleris sodomiam et bestialitatis, cum sodomiticum scelus incestum cum ipsa matre commissum horrore et enormitate superet, ut expresse cavetur ex S. Augustino in c. *Adulterii malum 11*, caus. 32, quæst. 7, et qui cum carne bestiam carnem suam divisit, indignus prorsus sit, ut in posterum nunquam cum conjugate fiat una caro; qui enim ob execranda illa scelera igni vivus secundum leges tradendus est, quo pacto fidelis conjugis consortio dignus videri posset? Et colligitur ex cap. *Idololatria 5*, caus. 28, quæst. 1; ubi, de mente sancti Augustini declaratur, posse denegari debitum, et fieri separationem a conjugate reo cujuscumque perniciosi et turpis concubitus, ibi: « Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quæ in stupris cum alienis viris aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt et perniciose turpiterque corrumpunt, possit sine crimine et vir uxorem dimittere et uxor virum, quia exceptam facit Dominus causam fornicationis, quam fornicationem... generalem et universalem intelligere cogimur.

(14. *Quarto*, potest coniux denegare debi-

tum, quoties ex tali redditione sibi timetur grave periculum salutis corporalis, v. g. mortis, vel morbi gravis et periculosi, ut si petens peste, lepra, morbo gallico, vel alio contagioso morbo et probabiliter certo infecturo laboret, aut petat debitum ab eo, qui febris hectica, vel alio morbo laborat, ratione cujus reddendo debitum gravis ei infirmitas, vel periculum timeatur. Ita communis cum S. Thoma et Scoto in 4, dist. 37; Abbate, in cap. De conjug. leprosor., et aliis, quos citat et sequitur Sanchez, lib. ix, disput. 24, num. 16; Laymann, loc. cit., num. 5. Et ratio est, quia, ex naturali interpretatione, conjuges in matrimonii contractu corporum potestatem inter se dant, salva suarum personarum incolumitate; adeoque cum timetur grave periculum salutis corporalis, non urget obligatio reddendi debitum. (15. Nec obstat id, quod respondit Alexander III, in c. Quoniam 2, De conjug. leprosor., ibi: « Si virum, sive uxorem leprosum fieri contigerit, et infirmus a sano debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur: » Non obstat, inquam, quia respondet communiter doctores apud Silvestrum, verb. Debitum, quæst. 1, § secunda; Sanchez lib. ix, disput. 24, num. 17; Layman, loc. c., num. 6. Pontificem ita respondisse ex præsumptione, quod conjugii reddenti debitum propinquum infectionis periculum plerumque non imminet a leproso, præsertim cum raro admodum fiat, situsque mutatione ac vestitu periculum cavere possit; at non pro casu, et morbo, quo conjugis sanus debitum persolvere nequeat, quin ex judicio periti medici morbum contrahat, quia in tali casu et morbo nemo tenetur sui corporis vitam, et incolumitatem pro privati hominis peccato vitando exponere, cum is in necessitate simpliciter positus non sit, sed alia concupiscentia remedia adhibere possit. Quæ explicatio et exceptio est juxta principium, quod constituit D. Thomas in 4, dist. 32; art. 1, in corp. dicens, unum conjugem non teneri ad debitum alteri reddendum, nisi sub ista conditione salva tamen prius personæ incolumitate. (16. Si quis autem sponte contraxit cum persona, quam prius sciebat lepra, vel morbo gallico, aut alio simili morbo contagioso laborare, non potest ipsi denegare debitum, nec cohabitationem, quia censetur cessisse juri suo, sicuti is qui, sciens vitium mercis, nihilominus emit, ut cum communissima DD. docet Sanch., loc. cit., n. 22, § Porro.

(17. Quinto, debitum conjugale denegare potest mulier illa quæ ex antecedentis periculosissimi partus experientia et ex medicorum et chirurgorum judicio scit, non posse sine manifesto vitæ periculo partum emittere. Est communis cum S. Thoma, in 4, dist. 32, q. unic., art. 1, in corp. ubi expresse dicit mulierem non teneri ad debitum, nisi sub ista conditione; salva tamen prius personæ incolumitate. (18. Sexto, debitum denegare potest uxor gravida quando ex redditione periculum probabile mortis

(vel etiam abortus) timetur proliis jam conceptæ; imo tunc nec petere nec reddere licitum est; c. Origo 5, caus. 32, qu. 4, c. Non solum 15, caus. 32, qu. 7. c. Si causa 4, caus. 33, qu. 4, ut observat Laym., l. c., n. 7. (19. Si tamen ex mutatione situs ac commode possit evitari tale periculum, tenetur uxor gravida debitum reddere marito illud serio petenti; Omnes vid. not. ad n. 35.

(20. Septimo, potest conjux denegare debitum quando alter conjux illud petit in amentia, ebrietate aut alias constitutus extra usum rationis, quia talis non petit actu humano et libere rationabiliter ut homo, sed potius ut bestia. Est communis. (21. Si tamen conjux ebrius vel amens accessurus esset ad aliam, vel se polluturus, tunc uxor teneretur per accidens et ex charitate saltem reddere ob impedienda mala inde emergentia. Ita communis. (22. Octavo, potest conjux debitum denegare quando alter immoderate ac nimis frequenter petit, quia non videntur conjuges sese obligasse ad usum immoderatum, præsertim cum repugnet decentiæ, ipsique valetudini. Unde non peccat conjux, si v. g. petenti ter reddat et quarta vice neget ut notat Glossa in c. Quoniam, dist. 31; La Croix, lib. vi, part. III, n. 396; Sporer, tom. III, part. iv, cap. 2, n. 313, et alii. (23. Nono, potest conjux debitum denegare si publice seu coram aliis exigatur aut in ecclesia ubi sine sacrilegio conjugalis actus exerceri non potest, excepto necessitatis casu, si videlicet conjuges diuturno tempore inclusi in sacro loco, ob humanam fragilitatem in periculo incontinentiæ versentur. Ita communis doctorum. (24. Decimo, potest conjux ante elapsos duos menses a contractu matrimoniali denegare debitum si nondum sit consummatum matrimonium; potest enim conjux ante consummationem matrimonii religionem ingredi intra duos menses: unde ante elapsum tale tempus non tenetur illud consummare reddendo debitum; c. Ex publico 7, De conversione conjug., c. Commissum 16, De sponsalibus et matrim.

(25. Undecimo, conjux potest, imo et debet denegare debitum conjugale alteri conjugii illud etiam serio et instantè petenti quando ambo unanimi consensu ante vel post matrimonium consummatum continentiam voverunt; habetur clare de mente S. Augustini in c. Quod Deo 4, caus. 33, qu. 5, ibi: « Quod Deo pari consensu voveratis perseveranter usque in finem reddere ambo debuitis a quo proposito si lapsus est ille, tu saltem instantissime persevera. » Et sic docet D. Thomas in 4, dist. 38, quæst. 1, art. 3, qu. 2, ad 2 et 4; et S. Antonin., in par. Summ. theolog., tit. 1, cap. 21, § fin., præcisus his verbis. « Cum... uterque pari consensu voverint continentiam, nullus eorum potest vel debet exigere debitum, vel reddere nisi cum peccato mortali: » et alii communiter. (26. Duodecimo, conjux potest imo et debet denegare debitum alteri conjugii illud petenti quando sibi invicem promiserunt sub juramento abstinentiam ab usu matrimonii ad certum tempus, v. g. pro

toto tempore Quadragesimæ, ut colligitur ex c. Administrationis 1, c. Debitores 6, c. Ad nostram 7, et cap. Quemadmodum 25, De jurejurando, in quibus constat promissa sola conventionem firmata posse quidem omitti, non vero jurejurando obsignata; et ratio est quia non sufficit ut conjuges mutuo sibi suam remittant juratam promissionem ad licitum matrimonii usum ante lapsum præfixi temporis; non enim solum ad se invicem mutuo consensu sunt obstricti, sed etiam apud Deum, invocato ejus nomine, ipsoque in testem sui pacti vocato: unde necesse est ut talis eis a Deo condonetur obligatio per Ecclesiæ dispensationem, aliqua justa interveniente causa, aliter tales conjuges neque exigere, neque reddere debitum conjugale possunt. Sunt etiam aliæ nonnullæ causæ, propter quas conjuges possunt licite denegare debitum conjugale, quæ brevitate gratia relinquuntur videndæ apud Sanchez lib. ix, De matrim., disp. 24 et sequent., et alios diffuse de istis agentes.

(27. Unde veniunt hic adducendæ causæ propter quas non possunt conjuges debitum denegare et possunt licite petere et reddere. Primo igitur conjux non potest debitum denegare eo quod alter sit nominatim denunciatus excommunicatus; cap. Quoniam multos 103, caus. 11, q. 3, ubi Gregorius VII pro nostra assertionem sic expresse concludit: « Quoniam multos, peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus partim ignorantia, partim vitiis simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, devicti misericordia, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, opportune temperamus; apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet uxores, liberos, servos, ancillas seu mancipia nec non rusticos servientes, » etc. Quod confirmat Innocentius III in cap. Quod in dubiis, 30 De sentent. excommuni., et in cap. Inter alia, 31, eod. tit., ubi declarat illos qui homini nondum excommunicato famulari solebant, ex lata ejus excommunicatione ab eodem ministerio non arceri, ibi: « Cum quædam personæ in præmisso capitulo (Quoniam multos) illis in quos lata fuerit excommunicationis sententia ante prolationem ipsius obsequio tenerentur familiariter adhærere, neque postmodum ad contrarium teneantur, cum adhuc debitum daret, beneficio canonis id agente, a priore non sunt obnoxietate solutæ, sed ad familiare tenentur obsequium, et ita per consequens ad communicationem tenentur, sine qua illud nequeant exhibere. » Hinc Glossa in cit. cap. Quoniam multos, verb. Uxores, sic expresse ait: « Sed nunquid vir excommunicatus potest petere debitum ab uxore?... Si petat vir mulierem in judicio et ipsa objicit ei excommunicationem, judex tenetur ex suo officio restituere ei mulierem, cum in hoc casu possit ei communicare; unde credo quod tenetur debitum reddere. »

(28. Secundo, conjux non potest negare debitum ob solum metum ne multiplicetur

proles et ob inopiam non possit ali. Ita Angelus verb. Debitum, § 15; Silvester, quæst. 8; Navarr., cap. 16, n. 23; Laymann, loc. cit., num. 16; Sporer, l. c. n. 516, et alii communiter negantes absolute multiplicationem proliis excusare a redditione debiti. Et ratio est quia ex una parte multiplicatio proliis spectat ad præcipuum finem matrimonii, estque magnum bonum ac donum Dei, cujus gratia a conjugibus tolerandum est omne incommodum prima conjugii stipulatione conceptum; ex altera autem parte melius est proli, ut vivat inops quam ut omnino non vivat, nec ex apprehensa inopia et deficientia alimentorum pro prole potest deduci excusatio tam strictæ obligationis redditionis debiti, cum Deus in se vere confidentes non deserat, juxta illud Regis Prophetæ, Psal. xxxv, v. 25: Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum nec semen ejus querens panem. Et Christus ipse, Matthæi, vi, v. 26 et seq., sic in Dei providentia confidere præcipiat et diffidentes severe objurgat, ibi: Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?... Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neque nent... Si autem senum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?

(29. Tertio, non potest conjux debitum denegare, ex quo petatur diebus festis, vel diebus sacræ communionis aut similibus. Est communis cum D. Thoma in 4, dist. 32, quæst. unic., art. 3, in corp., ubi expresse ait: « Tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore et quacumque hora, salva debita honestate quæ in talibus exigatur; » et iterum in Supplement., q. 64, art. 7, in conclus., dicit: « Ne propter lubricum carnis aliqua peccati detur occasio, tenentur conjuges etiam in diebus festis et quacumque hora sibi mutuo debitum reddere, salva tamen honestate. » Et Sylvius in iii part. S. Thom., q. 80, art. 7, sic clare concludit: « Conjux quæ est communicata non propterea excusatur a redditione debiti, si alter instet, sicuti neque excusatur ex eo quod illo die communicaverit. » Et habetur in cap. Vir 7, caus. 33, quæst. 4, ibi: « Si quis vero sua conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solummodo creandorum liberorum gratia utitur, eodem ipso die si velit communicare, ipse profecto... de sumendo corporis Dominici sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio. »

(30. Nec valet objicere quod Apostolus I ad Corinth., cap. vii, v. 5, præcipiat conjugibus, ut abstineant ab usu matrimonii ad tempus, ut vacent orationi: Non valet, inquam, quia ibi Apostolus præcipit conjugibus ut non fraudent ad invicem, et solum permittit abstinere ad tempus ab usu matrimonii ex communi consensu, ut vacetur orationi, et en præcisa ipsius verba: « Nolite fraudare invicem nisi forte, ex consensu

ad tempus, ut vacetis orationi;» et sic ipsum Apostolum intelligit S. Augustinus relatus in cap. *Apostolus* 12, caus. 33, quæst. 4, ibi: «Apostolus nec ad tempus, ut vacent orationi nisi ex consensu, voluit conjuges, carnali invicem fraudare debito.» (31. Nec etiam valet objicere canonem in cap. *Si causa* 4, caus. 33, quæst. 4, ubi de mente sancti Ambrosii sic habetur: «Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum, quia et dies festi et dies processiois, et ipsa ratio conceptus et partus, juxta legem cessari temporibus his debere demonstrant.» Nec etiam objicere canonem *Quotiescunque* 2, eadem caus. et quæst., ubi ex S. Augustino sic præcise habetur: «Quotiescunque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ festivitates advenerint, sicut frequenter admonui, non solum ab infidelium concubinarum consortio, sed etiam a propriis uxoribus abstinete.» Nec canonem *Christiano* 3, ead. caus. et quæst., ubi ex eodem S. Augustino uxoris usus diebus processiois et jejunii interdicitur. Nec canonem *Omnis homo* 21, De consecrat., dist. 2, ubi ex concilio Eliberitano sic habetur: «Omnis homo ante sacram communionem a propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus.» Nec canonem in cap. *Si sciatis* 1, caus. 33, quæst. 4, ubi de mente S. Hieronymi sic habetur: «Si panes propositionis non poterant ab iis qui uxores suas tetigerant comedi, quanto magis panis ille qui de cælo descendit non potest ab his qui conjugibus paulo ante hæere complexibus violari atque contingi.» (32. Non valet, inquam, quia tales et consimiles canones intelligendi sunt secundum congruitatem et non secundum necessitatem, ex consilio et non ex præcepto, ut optime exponit S. Thomas III part. *Summa*, quæst. 8, art. 7, ibi: «Hoc secundum congruitatem et non secundum necessitatem, ex consilio et non ex præcepto est intelligendum (25).»

(33. Quarto non potest conjux debitum denegare sub prætextu, quod alter conjux affinitatem spirituales contraxerit, baptizando proprium filium in casu extremæ necessitatis; cum enim talis conjugis actio non solum sit licita, sed etiam necessaria, et ex præcepto charitatis imperata, non debet ei imputari ad ullam pœnam, sicuti non ei imputatur ad ullam culpam, ex regula Innocentii III tradita in c. *Discretionem* 6, De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ,

(25) Operæ pretium est referre quæ scripsit Benedictus XIV. I. v. *De synod.*, c. 1, num. 8: «Olim in solemnioribus festivitatibus, ac jejunii diebus, quibus peculiariter erat orationi vacandum, vetitum fuisse conjugibus matrimonii usum, ex pluribus colligitur Ecclesiæ sanctionibus, collectis a Gratiano can. 55, quæst. 4. Hæc fortasse, aliaque hujus generis multa ignota fuerunt nonnullis theologis moralibus, qui antiquam disciplinam ex hodierna metientes (quod sepe ab iisdem fieri notavit card. Bona *Ber. liturg.*, l. 1, c. 48, n. 1) non dubitarunt affirmare, nunquam ab Ecclesia fuisse usum conjugii certis diebus interdictum; cum potius asserere de-

ibi: «Cum suo jure non debeat sine sua culpa privari.» Et expresse habetur decisum a Joanne VIII in cap. *Ad limina* 7, caus. 30, quæst. 1, ibi: «Dicimus omittendum esse, et inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Nam hoc baptizandi opus laicis fidelibus juxta canonicam auctoritatem, si necesse fuit facere, libere conceditur: Unde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, sacri unda baptismatis lavavit, ut eum de potestate auctoris mortis, et tenebrarum eriperet, et in regnum Christi jam regnaturum sine dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur, et idcirco suæ uxori, sibi legitime sociatæ, impune, quando vixerit, judicamus manere conjunctum, nec ob hoc... separari debere.»

(34. Quinto nec potest conjux debitum denegare sub prætextu, quod alter conjux affinitatem contraxerit ratione incestus, vel adulterii non sponte, sed coactionis vi, vel ignorantia facti, commissi. Et ratio est, quia talis conjux ex hujusmodi incestu, seu adulterio sine ulla sua culpa commissio non debet suo jure petendi debitum ullo modo privari; cit. cap. *Discretionem* 6, De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, ibi: «Cum suo jure non debeat sine sua culpa privari,» et Regul. 23 juris, in 6, ibi: «Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.» Conjux autem, qui non sponte, sed coactionis vi, vel ignorantia facti, incestum vel adulterium commisit, nullam admisit culpam, cum pro se fuerit omnino materialis talis actus incestus vel adulterii, ex quo, ut supponitur, in eum nullatenus consenserit, neque adeo ipsi in peccatum imputari debeat ex mente S. Augustini relati in c. *De pudicitia* 6, caus. 32, q. 1, ibi: «Nemo impudice utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia;» et ut dicit Origenes l. II ad c. II *Epistolæ ad Romanos*: «Neque enim fieri potest ut, si ante quis non mœchetur in corde, mœchari possit in corpore.» Et quod affinitas contracta ratione incestus vel adulterii non sponte, sed coacte commissi, non privet jure petendi debitum conjugem innocentem, habetur expresse in cap. *Discretionem* 6, De eo, qui cognovit etc., ibi: «Sed nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virum, et uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cum suo jure non debeat sine sua culpa privari.» Et quod etiam affinitas con-

huerint, nunc intra meri consilii limites contineri, quod olim severa lege erat prohibitum, sicuti scite ponderat Catalanus, in *Com. ad Pontif. Rom.*, t. III, tit. *De ordine ad synodum*, § 22. Quod attinet ad auctoritatem S. Thomæ, verba, quæ auctor exscribit, loco ab eo citato non occurrunt. Illa tamen verba «hoc secundum congruitatem, et non secundum necessitatem est intelligendum» leguntur III part., qu. 80, art. 7, in quo quaerit «utrum nocturna pollutio aliquem impediatur a sumptione Eucharistiæ,» in resp. ad 2, ubi hæc ratione accipiendum esse S. Hieronymi testimonium in cap. *Si sciatis* translatum declarat.

tracta ratione incestus vel adulterii ignorantia facti commissi, non privet jure suo petendi debitum conjugem sic ignoranter, et consequenter solum materialiter peccantem, habetur expresse in cap. *Si virgo* 5, caus. 34, quæst. 1 et 2, ibi: «Hinc etiam ignorantia excusat eum, qui nesciens dormivit cum sorore uxoris suæ,» et cap. *In lectum* 6, eadem caus. et quæst., ibi: «In lectum mariti, absente uxore, soror ivit uxoris, quam ille uxorem putans suam esse, dormivit cum ea; super hoc visum est, si ipse per securitatem veram hoc probaverit, quod inscius fecerit hoc scelus... legitimam suam conjugem habere permittatur.»

(35. Debitum conjugale licite petitur, et redditur, etiamsi mulier sit prægnans, dummodo tamen absit periculum abortus. *Est communis* (26). Nec obstat textus cap. *Origo* 5, caus. 32, quæst. 4, cap. *Non solum* 15, eadem caus. 32, quæst. 7, cap. *Si causa* 4, caus. 33, quæst. 4, ubi videtur prohiberi accessus ad uxorem gravidam (27). Respondetur enim hoc esse de consilio, et non de præcepto, nisi in casu probabilis periculi abor-

(26) Sententia est sanctorum Patrum auctoritati innixa, in primisque sancti Augustini, usum matrimonii culpa non vacare, nisi propagandæ proles, vel debiti reddendi causa exerceatur. Plura ex S. doctore producere monumenta, per facile esset. Unum, vel alterum lectorum oculis sistimus. *Melior est quidem*, ait S. D. L. *De bono conjugali*, cap. 6: «Ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, qui sit causa gignendi: sed quia illa continentia meriti amplioris est; reddere vero debitum, nullius est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem CULPA VENIALIS,» etc. (Tom. VI *Operum*, col. 256.)

Et in *Enchiridio*, cap. 78. «Putari posset, inquit, non esse peccatum misceri conjugii, non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis; et fornicationis... mortiferum malum... incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset (Apostolus): hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. QUIS AUTEM ESSE PECCATUM NEGET? cum dari veniam facientibus, Apostolica auctoritate fateatur? » *Ibidem* colum. 166, Legesis, et S. Hieronymum in caput v *Epistolæ ad Ephesios*, l. II, t. VII *Operum*, editionis noviss. Veronen., colum. 657, et S. Gregorium Magnum, in *Regula pastorali*, part. II, c. 27, tom. II *Operum*, edit. Benedict., colum. 80. Hinc S. Thom., in 4, distinct. 31, quæst. 2, art. 2, docet, «quodbus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt; scilicet causa proles procreandæ, et debiti reddendi, ALIAS AUTEM SEMPER EST IBI PECCATUM, AD MINUS VENIALE.» Qui igitur fieri potest, ut idem usus innocuus evadat, uxore prægnante, ut hic auctor absque ulla restrictione asserit? Sane, si sanctorum Patrum, sacrarumque canonum doctrinam consulamus, in contrarium sententiam declinamus, oportet.

S. Clemens Alexandr. l. II *Pædag.*, cap. 10: «Utrum, inquit, induxit (Moyses) veterum Hebræorum coeuntem cum sua uxore prægnante. Sola enim voluptas, si quis ea etiam utatur in conjugio, est præter leges, et injusta, et a ratione aliena. Rursus Moyses abduxit viros a prægnantibus, quousque pepererint... Nefas est ergo operantem jam Naturam adhuc molestia afficere, superflue ad petulantem prorumpendo libidinem » (II to. *Operum*, editionis Oxonii pag. 225.)

tus. (36. Licite etiam petitur eo tempore, quo mulier est lactans. *Est communis*. Nec obstat textus cap. *Ad ejus* 4, dist., ubi dicitur: «Ad ejus vero concubitum vir suus accedere non debet, quousque qui gignitur, ab lactetur.» Respondetur enim etiam hoc esse de consilio, et non de præcepto, nisi in casu probabilis periculi mortis suæ proles, quando scilicet mulier percipiat, quod ratione usus conjugii, lac suum notabiliter fiat noxium infanti, aut ad ejus nutritionem notabiliter deficiat. (37. Debitum petere, et reddere eo tempore, quo mulier est prægnans, id est post recentem partum, durante adhuc naturali purgatione mulieris, per se loquendo, non est quidem peccatum mortale, ut tenent plurimi doctores, at nihilominus communiter peccatum veniale deesse non solet, et hoc ob nimiam intemperantiam, quæ in copula ista scditati juncta intervenire solet; Herinex, disp. 7, *De matrim.*, quæst. 6, n. 18; Sanchez, lib. IX *De matrim.* disp. 21, n. 7, et alii passim; et colligitur ex cap. *Ad ejus* 4, dist. 5, ubi, de mente S. Gregorii sic habetur: «Hæc itaque, quæ

S. Ambrosius lib. I, in *Lucam*, num. 54: «Ad cohibendam, inquit, petulantiam tuam manus quasdam tui Auctoris in utero hominem formantis advertis. Ille operatur, et tu sacri uteri secretum incestas libidine? Vel peccum imitare, vel Deum vere.» (Tom. I *Operum*, edit. Benedict., colum. 428.)

Videri etiam possunt SS. Augustinus et Hieron. locis laudatis. Quapropter sacris cautum est canonicis, ut qui cum uxoribus prægnantibus conveniebant, pœnitentiæ subicerentur. Hoc constat ex Pœnitentiæ Romano tit. 7, cap. 9 et 10, et ex Pœnitentiæ Bedæ cap. 2 et 10. Unde S. Thomas in 4, distinct. 31, in Expositione textus: «Ideo Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem imprægnatam: Non tamen, quod semper sit peccatum mortale, nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus.» Ex hucusque laudatis auctoritatibus perspicax lector judicium ferre potest, utrum canones ab auctore laudati consilium, an præceptum sonent, quos præceptum indigitare in promptu esset ostendere, si id necessitas expostularet. Unum addimus: scilicet ne incautus lector omnes doctrinas, quæ in hoc articulo leguntur, amplectatur, v. g. expositam sub n. 42 circa modum concubendi; sub n. 45 de debiti petitione cum dubio circa matrimonii validitatem, quam e diametro esse oppositam sententiæ Innocentii III relatæ in cap. *Inquisitioni*, De sentent. excommunicationis, nemo sanæ mentis inficiabitur. Vide et. Eusebium Amort. «in *Disquisitionibus dogmaticis, de controversiis in theologia morali insignibus*, disquisit. 11, *De petitione debiti conjugalis*, quo tempore uxor est gravis; in qua pluribus ostendit, debitum conjugale nunquam sine peccato veniali exigi posse, post conceptionem moraliter certam.» (Confer Antoine, in *Tractatu de obligationibus*, cap. 3, quæst. 11, resp. 2, n. 2.)

(27) Sobrie et juste, et pie vivendum esse in hoc sæculo, omnibus præcipit Apostolus *ad Tit.*, cap. II. Conjuges vel qui conjugum peccata audire tenentur, ea verba perpendant, et quæ sequuntur S. Bonaventuræ, *Compend. Theol. Verit.*, l. VI, cap. 38: «Potest quis accedere ad uxorem suam quatuor de causis: scilicet causa proles, causa reddendi debitum, causa vitandæ incontinentiæ, quarto potest fieri causa explendæ libidinis: et hoc modo peccatum est veniale, vel mortale, secundum quod libido est venialis, vel mortalis.»